

Quaestio VIII

Utrum divina esentia ab eterno aliquid genuerit vel ab aliquo sit genita.

Arguitur quod sic, quia hic pater generat, et hec essentia divina est pater, igitur etc.

Item hic filius Dei est genitus, hec essentia est hic filius, igitur hec essentia est genita.

Ad oppositum est Magister per totam distinctionem istam. Pro solutione questionis pono tres conclusiones.

Prima conclusio, quod Deus Deum generat, probatur tripliciter. Primo sic: in divinis est generatio, igitur Deus Deum generat. Antecedens patet Isaie 66. Ego qui generationem cunctis tribuo nunquid sterilis ero, quasi dicentis non secundum Glossam. Consequentia probatur, quia si in divinis sit generatio, Aut ibi generatur aliquid quod est Deus, et tunc habetur propositum. Aut (19rb) aliquid quod non est Deus, et tunc sequitur quod aliquid quod non est Deus sit similis ipsi cum omne genitum sit genitori simile quod est contra illud Isaie 40, *cui similem fecisti Deus gloria nulli similari potest etc.*

Secundo sic: Deus pater generat Deum filium, igitur Deus generat Deum. Antecedens patet, quia pater qui est Deus generat filium qui est Deus. Consequentia nota quia da oppositum quod nullus Deus generat Deum, sequitur quod nullus Deus generat Deum filium quod repugnat antecedenti.

Tertio sic: auctoritate Magistri libro 1 distinctione 4 dicit sane et catholice concedimus quod unus unum genuit et quod Deus Deum genuit, et quod Deus pater Deum filium genuit, in simbolo quoque scriptum est "lumen de lumine, Deum verum de Deo vero".

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: Deus generat Deum. Igitur pater et filius et spiritus sanctus generat Deum. Consequens falsum. Probatur consequentia, quia non est nisi unus Deus qui est pater et filius et spiritus sanctus, ut habetur primo De trinitate, de suma trinitate et fide catholica firmiter. Et eodem modo sequitur quod si Deus generat Deum Deus generat patrem et filium et spiritus sanctum.

Secundo sic: Deus generat Deum igitur Deus distinguitur a Deo. Consequens falsum, quia tunc non esset unus solus Deus contra illud Deuteronomi, 6, *Dominus deus tuus unus est.* Et consequentia patet arguendo per illud medium Augustinus 1 De trinitate capitulo 1, "nulla res se ipsam gignit ut sit". Unde sicut sequitur 'pater generat filium, igitur pater distinguitur a filio', ita sequitur 'Deus generat Deum, igitur Deus distinguitur a Deo', et confirmatur argumento quod ponit Magister distinctione 4.

Si Deus genuit Deum autem se Deum autem alium Deum. Si alium, igitur non est tantum unus Deus. Si se, igitur aliqua res se ipsam gignit.

Tertio sic: si Deus genuit Deum, aut voluntarie, aut involuntarie. Non voluntarie, quia tunc non generaret necessario, et per consequens filius posset essendo esse et pater posset non generare filium, et sic filius esset contingenter Deus, quod implicat. Nec involuntarie, quia tunc Deus aliquid ageret invite.

Respondeo ad evidentiam dictorum sciendum est quod nomina que predicantur de Deo sunt in quadruplici differentia. (19va)

Quedam dicuntur personalia, quedam essentialia, quedam communia, quedam notionalia.

Personalia sunt illa que sic predicantur quod si in Deo supposita et natura distinguerentur, sic supponerent pro persona vel pro personis. quod non pro essentia, ut pater filius genitor et huiusmodi.

Essentialia sunt illa quae in tali casu sic supponerent pro natura, quod non pro persona, vel pro personis ut essentia, deitas et huiusmodi.

Communia sunt illa que in tali casu et pro natura et pro persona possunt supponere, ut ens, res, Deus, sapientia etc., licet aliqui oppositum dicant de hoc nomine 'Deus', scilicet quod solum supponeret pro supposito et non pro natura, quod patet falsum quia adhuc illa natura esset Deus.

De sapientia autem dicunt aliqui quod solum pro natura et non pro persona. Hoc apparet falsum, quia etiam nunc aliquando accipitur personaliter unde dicit magister in ista distinctione 5 et sunt verba Augustini 16 De trinitate quod filius dicitur consilium de consilio et sapientia de sapientia.

Nomina notionalia sunt illa que proprie notant distinctionem in personis ut generans genitus et procedens, et hec distinctio habetur sententialiter in Glossa extra de Summa trinitate et de fide catholica, capitulo 'dampna'.

Secundo notandum quod verba sunt duplicia. Quedam que in propositione affirmativa significant idemtitatem predicati cum subiecto ut hoc verbum 'est', quedam diversitatem, ut hoc verbum 'generat', quedam quae de se nec idemtitatem nec diversitatem ut hoc verbum 'cognoscit'.

Tertio notandum quod omnia nomina essentialia predicantur de nominibus essentialibus personalibus et communibus mediante verbo importante idemtitatem predicati cum subiecto, ut deitas est essentia., Pater est essentia. Deus est essentia. Res est essentia et sic de omnibus aliis et econverso ut essentia est deitas essentia est pater, essentia est Deus.

Quarto notandum quod nomina essentialia non possunt predicari de nominibus essentialibus personalibus, vel communibus mediante verbo importante diversitatem. Nec econverso, ideo non potest dici pater generat essentiam, Deus generat essentiam, nec econverso.

Quinto (19vb) notandum quod nomina personalia quandoque predicantur de nominibus personalibus mediante verbo significante diversitatem, ut pater generat filium, Pater et filius spirant Spiritum Sanctum.

Similiter quandoque predicantur de nominibus communibus, ut Deus generat filium et econverso Pater generat Deum, et ratio est quia talia nomina communia quandoque supponunt pro persona.

Sexto notandum quod nomina communia possunt predicari de nominibus communibus mediante verbo significante diversitatem, et tunc talia nomina sumuntur personaliter ut Deus generat Deum, idest pater qui est Deus generat filium, qui est Deus.

Si autem sumantur essentialiter nequaquam, talia autem utroque modo possunt sumi.

Septimo notandum quod nomina notionalia possunt summi adiective et substantive. Si adiective, tunc solum predicantur mediante verbo indicante idemtitatem de personis cui conveniunt,

ut dicendo pater est generans et econverso, Filius est genitus et econverso. Si vero substantive, tunc possunt predicari de nominibus tam personalibus quam essentialibus, ut si dicatur: divina essentia est generans, quia si teneatur substantive non est sensus quod essentia divina generet, sed quod essentia divina est illa persona que est generans, sed si staret adiective,

esset falsa, ut habetur in Glossa de Summa trinitate capitulo 'damna' Ex hiis ad argumenta. Ad primum dico quod Deus generat Deum et li Deus tam in subiecto quam in predicato stat persona, igitur et non essentialiter cum dicitur ultra.

Igitur pater et filius et spiritus sanctus generant Deum nego consequentiam.

Ad probationem, quia non est nisi unus Deus qui est pater et filius et spiritus sancto, dico quod falsum est sumendo li Deus personaliter. Et unum sumendo essentialiter, et tunc vel probatio assumit falsum vel variatur medium.

Ad secundum dico quod sicut Deus generat deum scilicet sumendo Deum personaliter. Ita Deus distinguitur a Deo sumendo ipsum personaliter. Ad probationem, quia solum unus Deus est dico quod verum est essentialiter.

Ad confirmationem dico eodem modo quod Deus genuit alium Deum personaliter non tamen alium essentialiter, et si dicas quia Magister non concedit istam immo negat (20ra) in 4 distinctione Deus genuit alium Deum.

Dico quod ideo negat, quia iste terminus de se est indifferens ad essentiam et ad personam, sed si determinetur ad personam, ut sit in proposito, non videtur neganda.

Ad tertium dico quod pater generat filium voluntarie et non involuntarie et cum hoc necessario necessitate immutabilitatis non coactionis nec ista repugnant ut dictum est superius in prima conclusione quarte quaestionis.

Secunda conclusio est quod essentia divina non generat, nec generatur. Probatur tripliciter. Primo sic omne generans distinguitur realiter a generato. Patet statim per Augustinum 1 De trinitate, capitulo 1. Sed essentia non distinguitur ab esse. Quia aliter essent due essentie divine, quod implicat. Igitur nec generat essentiam, nec generatur ab essentia.

Item non distinguitur a patre, quia inter patrem et essentiam non est relationis oppositio. Igitur non generatur a patre.

Item non distinguitur a filio eadem ratione, igitur non generat filium.

Secundo probatur auctoritate Magistri dicentis in principio 5 distinctione "dicimus quod nec pater divinam essentiam genuit, nec divina essentia genuit filium, nec divina essentia genuit divinam essentiam.

Tertio probatur auctoritate decretalis libro 1, De summa trinitate et fide catholica, dampnamus ubi dicitur sic: nos sacro approbante conclilio credimus et confitemur una cum petro quod quedam res incomprehensibilis et inefabilis que veraciter est pater et filius et spiritus sanctus tres persone et singulariter quelibet illarum et illa res non est generans, nec genita nec procedens. Sed est pater qui generat, filius qui generatur, et spiritus sanctus qui procedit.

Contra conclusionem arguitur tripliciter et primo sic: omnis filius est genitus a patre sed hec essentia divina est filius. Igitur est genita a patre maior est nota ex terminis, minor patet, quia essentia predicatur de qualibet persona, et econverso, quia inter illa non est relationis oppositio. Et confirmatur arguendo sic: hec essentia est pater. Igitur hec essentia est filium et ultra, igitur hec essentia genuit filium. Quelibet istarum consequentiarum patet, quia in quamlibet oppositum consequentis infert oppositum antecedentis.

Secundo sic: pater generat, pater est essentia divina, igitur essentia divina generat. Similiter filius generatur, filius est essentia divina, igitur.

Tertio sic: essentia divina non generat, nec generatur, igitur nul- (20rb) la essentia divina generat, nec generatur. Patet consequentia, quia non est nisi una essentia divina, igitur si illa non generat, nec generatur, tunc sic, nulla essentia divina generat, nec generatur. Igitur nullum

generans vel genitum est essentia divina. Patet consequentia per conversionem simplicem universalis affirmative. Et si sic, igitur pater non est essentia divina, nec filius, quod est hereticum.

Ista videtur expresse intentio Ricardi 3 De trinitate, capitulo 22. Ubi loquens de hac materia contra, Magister ait: "surrexerunt quidam nostris temporibus qui non audent dicere substantiam esse genitam. Quinimo multo periculosius et contra sanctorum patrum auctoritatem et contra tot attestaciones paternarum traditionum audent negare et modis omnibus conantur repellere quod substantia gignat substantiam et sapientia sapientiam. Soli pertinaciter negant quod omnes sancti affirmant, et ad hoc quod sicut auctoritatem invenire non possunt. Ad hoc quod nos dicimus auctoritates multas et ipsi inducunt et more Golie gladium quo iugulantur deferentes ad certamen procedunt etc." - hec Ricardus.

Respondeo ad primum, dico quod ibi est fallacia figure ditionis, quia mutatur modus predicandi, nam maior propositio. Omnis filius est genitus a patre est vera formaliter et reduplicative, quia in ratione formai filli includitur quod sit a patre genitus, et ideo omnis filius in quantum filius est a pater genitus.

Sed in minori variatur iste modus formalis predicandi, nam cum dicitur hec essentia divina est filius, ista propositio non est formalis nec reduplicativa, non quidem est formalis, quia filius non includitur in ratione formali essentie, nec reduplicativa, quia essentia in quantum essentia non est filius, est tamen vera indemptice quia eadem entitas est essentia et filius et ita variatur modus predicandi.

Ad confirmationem, cum dicitur hec essentia est pater, Verum est idemptice, scilicet quod essentia est illud quo est Pater. Non tamen est formalis. Et cum dicitur 'igitur hec essentia est habens filium', dico quod si ista intelligatur idemptice quod est vera sic scilicet quod hec essentia est habens filium id est idem quod res habens filium, quia est idem quod pater, et sic concedo ipsam. Si autem ipsam intelligas formaliter scilicet, igitur hec essentia in quantum essentia et ratione intrinseca essentie est habens filium. Tunc negatur nec sequitur ex antecedente cum solum antecedens sit unum idemptice et non formale. (20va)

Ad secundum dictum est in solutione argumentorum contra conclusionem secundam quinte questionis respondendo ad sillogismum expository, vel potest dici sicut ad precedens quod maior scilicet ista pater generat est vera formaliter sed minor scilicet ista essentia divina est pater est vera idemptice, ideo solum potest inferri conclusio idemptica que est ista,

igitur essentia divina generat et hec est vera idemptice scilicet essentia divina est illud quod generat scilicet est pater qui generat.

Ad tertium concedo illam 'nulla essentia divina generat'. Et cum dicitur ultra nullum generans est essentia divina, nego consequentiam et causa est quia in antecedente cum dicitur nulla essentia divina generat li 'generat' tenetur adiective in consequente autem cum dicitur 'nullum generans etc.' tenetur substantive, et ideo non valet consequentia.

Ubi aliter dicendo quod conversiones logicales non tenent nisi in terminis finitis et limitatis, et tales non sunt in proposito.

Ad dictum Ricardi nolo ipsum glosare quia ut dictum est arguendo ex intentione ipse loquitur impugnando in hac preopinionem Magistri et sic suum dictum ex intentione opponitur positioni Magistri sic quod utrumque dictum insimul scilicet Ricardi et magistri insimul non potest esse verum et quia dictum magistri est ab ecclesia approbatum ut supra de summa trinitate et fide etc., dictum Ricardi simpliciter, nego nec videtur mihi exponendum sicut multi

faciunt, quia si exponatur sic quod veritas dicti sui stet cum veritate dicti Magistri statim negatur intentio etc., quia ex intentione Magistrum impugabat.

Tertia conclusio est quod generatio in divinis nihil elicit, nec generat intelligendo sic conclusionem quod generatio in divinis non est actus elicited, ut quidam dicunt probatur tripliciter.

Primo sic: si generatio vel generare in divinis esset actus elicited, aut eliceretur ab essentia autem a persona sed a nullo istorum. Igitur non potes profluere vel elici ab essentia, quia tunc distingueretur ab essentia, quia vel seipsum generat etiam quia generare dicit actionem actiones autem sunt suppositorum, nec a persona, quia hoc maxime videtur quod a persona patris, sed hoc non potest esse, quia cum suppositum patris constituatur in esse formaliter per generationem, tunc pater eliceret formale suum principium quod implicat, quia tunc originaliter prius esset pater quam principium formale constitutum patris.

Secundo sic cuius formale principium ab (20vb) alio pululat profluit vel egreditur, et ipsum ab alio pululat, profluit vel egreditur sed generare quod est formale principium patris per te ab alio pululat profluit vel egreditur. Igitur et ipse pater sed consequentia est falsa et heretica. Igitur aliqua premissarum non maior, igitur minor.

Tertio sic: si generare in divinis sit aliquid elicited, sequitur quod Deus faceret se patrem. Consequens est falsum, quia tunc pater esset aliquid factum vel productum in divinis, quod est falsum, quia pater a nullo est factus, nec creatus nec genitus nec procedens. Et consequentia patet, quia enim generare in Socrates est actus elicited ideo Socrates generando facit se patrem, similiter si generare in Deo esset actus elicited Deus generando faceret se patrem.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si generare in divinis non esset actus elicited pater in divinis non vere generaret consequens falsum et hereticum consequentia patet per simile in creaturis, nam omne illud dicitur vere generare a quo profluit et egreditur generatio, et sic ille a quo non vere egreditur generatio non vere generat sed per conclusionem a patre non egreditur generatio, cum non sit actus elicited igitur.

Et confirmatur quia etiam tunc in divinis filius non vere generaretur. Patet consequentia, quia illud non vere generatur quod per generationem non capit esse. Sed filius in divinis non capit esse per generationem, sed constituitur per eam ut patet ex conclusione ponitur igitur.

Secundo sic si generare in Deo non sit actus elicited sequitur quod in divinis non sit generatio actio. Consequens falsum. Patet consequentia, quia de formali ratione actionis est quod sit ab hoc in hoc, ut dicit Philosophus 3 Phisicorum, textu commenti 19 et 20, sed generatio in Deo secundum conclusionem non est ab hoc in hoc cum non sit elicited. Igitur generatio actio non est in Deo. Et confirmatur, quia eadem ratione generatio passio non esset in Deo patet quia de formali ratione passionis est quod sit huius ab hoc, sed in divinis generatio non est huius quia queram cuius huius non essentie, quia illa non generatur, ut dictum est, nec filli cum ipsum constituat nec filiationis, cum sit illus ipsum cum ea, nec alicuius alterius termini cum nullus talis ponatur. Igitur passiva generatio non est in Deo.

Tertio: quia si sic, tunc in Deo generare esset idem quod pater et generam esset idem quod filius. Sed hoc videtur impossibile quia si sic cum a patre profluat filius et pater sit directe principium filii et generare et generari sint op-(21ra) posita tunc unum oppositorum esset directe causa alterius et per se quod videtur falsum.

Respondeo ad primum cum dicitur quod si sic, tunc pater in divinis non generaret, negatur consequentia. Ad probationem, quia in creaturis solum illud dicitur generare a quo profuit generatio. Concedo quod sic est in creaturis, non tamen sic est in divinis, et ratio est quia in creaturis illud quod generat est suppositum absolutum quod naturaliter presupponitur generationi et sibi substituitur.

In divinis aut illud quod generat est suppositum relativum, sicut tenet fides, quod non presupponitur generationi, nec sibi substituitur immo generare est principium formale ipsum constituens, unde generare iuxta nostrum modum intelligendi constituit primum suppositum in divinis, generare vero in creaturis non consistit suppositum, sed ipsum presupponit et ideo similitudo non valet modo consimili dico ad confirmationem de li 'generari'.

Ad secundum, cum dicitur quod tunc in divinis non esset generatio actio, negatur consequentia. Ad probationem quia de formali ratione actionis est quos sit huius in hoc. Dico quod hoc debet intelligi de actione suppositi absoluti, ut est in creaturis in divinis autem non est suppositum absolutum.

Et similiter dico ad confirmationem de generationem passiva, quia talis actio ac passio solum convenit suppositis absolutis, et non relativis propter rationem dictam in solutione primi argumenti.

Vel aliter: nam cum dicitur quod de formali ratione actionis est quod sit huius in hoc dico quod actio potest dici huius, scilicet agentis duobus modis, scilicet effective et elicitive et formaliter et constitutive.

Modo dico quod de formali ratione actionis est quod sit huius scilicet agentis uno istorum modorum et ad propositum quod generare vel generatio actio est patris non effective vel elicitive, sed formaliter et constitutive, quia per ipsam constituitur pater formaliter in esse patris. Et similiter dico de passione et generatione passiva vel generari.

Ad tertium cum infertur quod tunc unum oppositorum directe esset principium et causa alterius, quia generare est oppositum ad generari etc., dico quod hoc non videtur impossibile in oppositis relativis, quia talia posita se ponunt et proempta se proimunt. Hoc enim etiam apparet in creaturis, nam in creaturis pater et filius opponuntur relative, et tamen certum est quod pater directe et per se (21rb) est principium et causa filii; in aliis autem oppositionibus non sic est.

Ad argumentum principale in oppositum patet solutio ex hiis que dicta sunt ad argumentum secundum contra illam conclusionem etc.